

MARCUS ANTONIUS MAFFEI
(1553)

per unir da sua B^{ne} che li tarebbe cariss^{mo} per memoria di quell'.
dimore forse pietante della M^a di sue facie e da lei a licentia
mi per seguire il mio viaggio al serv^o de' di Polonia. il quale
essendo un poco infermo so' solo diffinito le n^{re}ze per alcuni
giorni con speranza che salvi a sbarcarsi presto; ancora che
per questi io non restino da trascorrere per eteguir qualche
prima, qualche cui o più commesso da M^o S^o, alquel
mi farà grata d'ignarsi di fare intendere quanto è stato
grato et accetto qualche fin qui si è fatto in nome di
sua Bona. se mi occorrerà altro basta pur sempre
le mani di V. S. affl^{to} R^{to} Di Vicchia alli
XVII di Giugno del L^{to}

Di V. S. affl^{to} R^{to} Di Vicchia alli XVII di Giugno del L^{to}
semania prossima sarà cominciata
della mia vita e di quella
di questo mondo.

Perche' ho vissuto quasi tutto
il tempo di umilità et obligatio' servitudo
e perche' ho vissuto in mezzo a tante
cose che non sono di uso nemico
e perche' ho vissuto in mezzo a tante
cose che non sono di uso nemico

Marc'Ant^o Maffei

Fragmentum epistulae autographae Marci Antonii Maffei
ad card. Innocentium Del Monte, datae Viennae 17 Junii 1553 (cfr. N. 7)

(AV, Lettere di Principi, 19 f. 135v)

N. 1

**Iulius III, pontifex maximus
Sigismundo Augusto, regi Poloniae**

Romae, 27 V 1553.

Gaudet de matrimonio, quod rex cum filia regis Romanorum inire statuit et multa bona ex illo proventura praedicit. Dispensationem, pro illo requisitam, collata prius re cum cardinalibus, libenter concedit. Marcum Antonium Maffei, qui nomine suo ipsi gratulabitur et nuptiis intererit, ei commendat.

Or. correctum: AV, Arm. 41, ms. 68, f. 248v-248ar. In f. 248r inscriptio et in f. 248av summarium.

Min.: Ibidem f. 215r-v (cum datatione: "22 Maii").

Iulius Papa III

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem. Omnes quidem nuntii et litterae, quas a Maiestate tua accipimus, magna nos semper in Domino laetitia solent afficere ex novis quotidie atque illustribus, quae ad nos afferuntur, tuae erga nos benevolentiae et in Deum Sanctamque eius catholicam religionem piae mentis testimoniis, sed tamen nullae unquam gratiore quam postremae hae litterae fuerunt, quae nobis tuae Maiestatis de ducenda uxore constitutum consilium declararunt¹, ex ea prae-sertim familia, quae et ^(a)regiae amplitudinis et dignitatis splendore et verae^{-a)} religionis cultu ac^{b)} recta vivendi disciplina nulli sit secunda. Itaque multum sane de eo, pro nostro paterno tuae Maiestatis atque istius tui nobilissimi Regni commodorum studio, sumus laetati, quod in tali eligenda uxore tuorum et populorum desiderio et provinciarum praesidio, non in praesens modo tempus, sed in longinguam etiam aetatem prospiceretur.

Auxit vehementer laetitiam nostram publici boni, quod ex ea re existit, cogitatio. Cum ex huiusmodi magnorum ac piorum christianorum Principum sanguinis inter se et sanctissimae necessitudinis coniunctione, non solum generis semen ad nobilissimas familias propagandi, sed animorum etiam con-

¹ Epistula, qua Sigismundus Augustus tertium suum matrimonium (secunda uxor eius, Barbara Radziwiłł, mortua est 8 V 1551) cum Catharina (1533-1572), filia Ferdinandi Habsburg, notificabat, desideratur, nisi ea ipsa est, qua rex etiam dispensationem postulat (v. infra, annotationem 2).

sensus ac benevolentia ad Christianae Reipublicae firmitatem corroborandam conflatur. Ad hoc accessit tua proprie in nos ipsos humanitas, qui nos tam amanter ad eas ipsas nuptias invitaris. Nos vero et animo et voluntate aderimus, easque omni studio nostro amantissimisque ad Deum precibus et votis prosequemur, ut vobis, populisque vestris, universaeque simul Christianae Reipublicae (quemadmodum quidem sperandum est) faustae illae sint et salutares.

Quod vero per alteras suas litteras tua Maiestas a nobis petiit, ut scrupulis, qui in vestri huius matrimonii coniunctione incidenter², vos nostra atque huius Sanctae Sedis auctoritate liberaremus, ea res, cum nec usitata esset, nec ita facile concedi solita, eam cum ven.libus fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus statim communicavimus, qui sane frequentes in eam nobiscum sententiam ierunt, ut ratione praefatae publicae christianorum populorum utilitatis, quae ex ista cognitione speranda est, id Maiestatis tuae et Ser.mi Romanorum Regis petitioni concedendum esset. Quare eius dispensationis auctoritatem, aliis nostris litteris expressam tua Maiestas habebit³.

Dominus autem Deus, qui omnium gratiarum et donorum auctor est et largitor, vestras huiusmodi nuptias suis coelestibus beneficiis in dies magis uberes ac fecundas reddat. Haec autem omnia expressius tua Maiestas intellicet ex dilecto filio Marco Antonio Maffaeo, ^(c)Sanctae Sedis Apostolicae Protonotario, Nuntio nostro^(c), dilecti filii nostri Card. Maffaei, nominis tui rerumque istius Regni studiosissimi, germano fratre. Quem pro temporis angustia, ut celeriter iter conficere posset, confessim istuc misimus, ut Maiestati tuae et Ser.mo Romanorum Regi de istis optatissimis nuptiis nostro nomine gratuletur, et ut in ipsarum etiam nuptiarum celebratione intersit et testis nostrae paternae erga Maiestatem tuam charitatis, et divinae benedictionis et favoris interpres. Datum ^(d)Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVII Maii M.D.LIII, Pontificatus nostri anno quarto⁴.

Pau[lus]^(d)⁵

a-a) *Correctum (partim in margine, partim in textu) ex: amplitudine et dignitate, veraeque b) Suprascriptum pro expuncto in textu: et*

c-c) *Adscriptum supra, pro expuncto: Aulae nostrae Consistorialis Causarum Advocato d) Alia manu.*

² Inter sponsos habebatur duplex impedimentum: primi gradus cognationis, nam Catharina erat soror germana primae uxoris regis, Elisabeth, et secundi (cum tertio) gradus consanguinitatis, cum mater eius Anna fuerit filia Vladislai, regis Hungariae, fratris regis Sigismundi I. Cfr. petitionem dispensationis a rege Sigismundo Augusto, die 15 IV 1553 summo pontifici missam (reg. Warszawa, AGAD, Lib. Legat. 14 f. 50r). Similem petitionem ad papam misit rex Ferdinandus die 4 V 1553 (Theiner VMPL II, p. 574).

³ Originale membranum bullae dispensationis, 23 V 1553 datae, conservatur Varsaviae (AGAD, Archiwum Koronne Krakowskie, Pontificales, Dokumenty pergaminowe, n. 4429).

⁴ Eodem die datum fuit breve commendatitium pro M. A. Maffei ad reginam Bonam (min. AV, Arm. 41, ms. 68 f. 244r).

⁵ Paulus Sadoleto († 1572), nepos celebris Iacobi Sadoleti, epus Carpenteratensis ab a. 1535, secretarius litterarum Latinarum Iulii III a. 1552-1554.

N. 2.

**Iulius III, pontifex maximus
episcopis regni Poloniae**

Romae, 27 V 1553.

Notum facit se mittere Marcum Antonium Maffei, qui nuptiis regiis interfuturus et cum illis de quibusdam collaturus sit. Hortatur illos, ut aemulationibus et dissensionibus postpositis, contra impiorum impetus Ecclesiam defendant.

Min.: AV, Arm. 41, ms 68 f. 246r-v. Sub textu summarium.

Cop. coæva: Kórnik, BPAN, ms. 245 f. 83r-v.

Episcopis Regni Poloniae

Ven.les fratres, salutem etc. Cum mitteremus dilectum filium Marcum Antonium Mapheum, Sanctae Sedis Apostolicae Protonotarium^{a)}, ut gratis istis et optatis Ser.mi Poloniae Regis nuptiis nostro nomine interesset, eique nostris verbis praesens gratularetur, eidem iniunximus, ut Fraternitates quoque vestras, quas ad easdem honestandas nuptias conventuros arbitrabamur, solita nostra ex Deo salute bendictioneque impartiret, et ut vobiscum etiam partem gaudii nostri, quod ex istius praestantissimi Regis Regnique commodis capimus, communicaret.

Est etiam illa propria nobis vobiscum gratulandi et virtutem pietatemque vestram summopere in Domino laudandi occasio, quod vos, pro communi religione conservanda, veraque et recta in Deum catholica fide adversus illius oppugnatores tuenda, tam strenuam quotidie operam, cum ipsi Deo, tum fidei, integritati, dignitatique vestrae praestatis. Non sunt nobis, Fratres, vestrae curae et labores incogniti, quos in hac perturbatione temporum ad intestina mala aut sananda aut comprimenda suscipitis. Omnia vestrum sigillatim officia et gesta nobis sunt explorata, eademque a nobis debita erga unumquemque vestrum gratitudine animi ponderantur⁶. Porro maximas clementissimo Deo agimus gratias, quod talem vestro labore et opera per Regis istius bonitatem ac providentiam det proventum. Quem sane in dies ex unanimi consensu vestro, fraternaque ea, quae muneris atque ordinis vestri propria est, concordia, ampliorem uberioremque fore non dubitamus.

⁶ In mente habet modum, quo singuli eorum agebant tempore comitiorum anni praecedentis, cum iurisdictio ecclesiastica, postulantibus novatoribus, diminuta esset. Informatorem fuisse videtur epum Varmiensem Stanislaum Hosium, cui unico episcoporum separatas summus pontifex dedit eodem die 27 Maii litteras laudatorias, pro epistula sibi scripta gratias agens (AV, Arm. 41, ms. 26 f. 242r).

Quare hortamur vos, Fratres, ut si quae per inimicos pa[246v]cis homines seminentur inter vos aemulationis aut dissensionis causae, eas aut magnanimiter abiicientes, aut Deo pie condonantes, id ipsum^{b)} sentiatis omnes, ut consentientium inter vos voluntatum consiliorumque robore, impiorum ac malevolorum impetus frangantur. Quae vero per nos istic vel ad consolatiō nem bonorum, vel ad malorum resipiscentiam agi aut curari oportere iudica veritis, si de eis (^{c-}nos reddideritis certiores^{c)}, nos nec diligentia nostra, nec huius Sanctae Sedis auctoritate vestro rectissimo studio ullo loco deerimus. Datum ^{d-}Romae apud Sanctum Petrum etc., die XXVII Maii 1553, Anno 4°.

Pau[lus]^{d)}

a) *Sequitur expunctum:* dilecti filii nostri Card. Maphei, rerum atque hominum istius Regni studiosissimi, germanum fratrem
 b) *Sequitur expunctum:* invicem

c-c) *Adscriptum supra, pro expuncto:* aut nos ipsos, aut praefatum dilectum filium nostrum Card. Mapheum admonueritis
 d-d) *Manu Pauli Sadoleti.*

N. 3.

Iulius III, pontifex maximus senatoribus saecularibus regni Poloniae

Romae, 27 V 1553.

Communicat eis se per Marcum Antonium Maffei (quem etiam eis commendat) regi et ipsis de matrimonio regio gratulari et adhortatur eos, ut religionem catholicam contra novas sectas defendant.

Min.: AV, Arm. 41, ms. 68 f. 247r-v.

- Ed.: Raynaldus XIV, p. 518.

Cop. coaeva: Warszawa, AGAD, Sucha 22/32 f. 111r-v.

Dilectis filiis Nobilibus viris Senatoribus Regni Poloniae

Dilecti filii, nobiles viri, salutem etc. Mittentes dilectum filium Marcum Antonium Maphaeum, Sanctae Apostolicae Sedis Protonotarium, Nuntium ad Ser.mum istum Regem, ut illi nostro nomine de istis exoptatis nuptiis gratularetur, atque eas etiam huius Apostolicae Sedis auctoritate, quantum pro temporis angustia fieri posset, cohonestaret, iussimus eum cum Nobilitibus quoque vestris, ad quas pro^{a)} sua eximia virtute insignique, quem in

isto amplissimo Regno obtinent loco, magnam huius laetitiae partem pervenire scimus, nostrum hoc gaudium, quod de istius Regni commodis capimus, communicare. Multae enim sunt causae, tum privatae, tum publicae (sicut ad ipsum Serenissimum Regem scribimus)⁷, quamobrem matrimonium istud probatum nobis sit atque iucundum, sed illa praecipua et maxima, quod ex hac mutua duorum magnorum Regum Regnorumque benevolentia, duabus amplissimis nationibus, nobilitate, fortitudine, casta et pura in Deum religione in primis florentibus, pax et securitas inter se constituitur, robur autem et firmamentum adversus exterarum iniurias confirmatur. Quare de tantis istius Regni commoditatibus vobiscum etiam gratulandum per nos esse duximus, Deumque optimum maximum coniunctis vobiscum precibus orandum, ut optime constituta consilia secundi etiam rerum eventus consequantur.

Illud etiam a nobis, pro nostro perpetuo omnium salutis desiderio, praetermittendum non est, ut scilicet Nobilitates V.ras de ea, quam in hac temporum agitatione catholicae fidei atque optimarum in christiana religione partium adversus impios seditiososque homines suscipitis propugnatione, in Domino plurimum commendemus, debitaque laude, quae verae virtutis comes est, prosequamur. Cum multa sint et amplissima erga istud nobilissimum Regnum Dei munera atque^{b)} dona, nullum omnino est, quod tam nobis illius stabilitatem diuturnitatemque polliceatur, quam ista, tum ipsius optimi Regis, tum optimatum principumque virorum, qui sub illo praestantisimo capite Reipublicae gubernacula moderantur, in vero Dei cultu et catholica religione conservanda unanimis atque censors consensio.

[247v] Hoc consilium, cum erga Deum pium et ad eius benignitatem nobis conciliandam maxime est idoneum, tum in ratione verae sapientiae in primis prudens est et salutare, cum istae novarum sectarum opinones (id quod tot iam provinciarum exemplis perspicuum est) non tam ad ecclesiasticarum rerum ordinem confundendum, quam ad labefactandos^{c)} omnes ordines, praefecturas et imperia, ut temeritati atque licentiae omnia permittantur, sint intentatae. Quod V.ras Nobilitates pro sua prudentia et dispicere et providere ita nobis gratum est, ut plus propterea^{d)} in dies et nostrae erga vos dilectioni indulgeamus, et vestrae tribuamus virtuti. Id quod ex praefato Marco Antonio plenius poteritis cognoscere. Cui Nobilitates V.rae fidem habebunt. Datum ^{e)}Romae apud Sanctum Petrum etc., die XXVII Maii 1553, Anno 4^o.

Pau[lus]^{-e)}

a) *Sequitur repetitum: pro*

b) *Suprascriptum pro expuncto: et*

c) *Suprascriptum pro expuncto: tollendos*

d) *Adscriptum supra.*

e-e) *Manu Pauli Sadoleti.*

**Iulius III, pontifex maximus
Nicolao Radziwiłł, palatino Vilnensi**

Romae, 27 V 1553.

Cum Marcum A. Maffei, qui gratulandi matrimonii causa ad regem Poloniae proficiscitur, eum in itinere (Vindobonae) conventurum esse intellexisset, separatis ei scribere constituit, ut gratias ei ageret eumque hortaretur ad constantiam in fide catholica adversus impiorum conatus defendenda.

Min.: AV, Arm. 41, ms. 68 f. 198r. In f. 198v: "17 [sic] Maii 1553, anno 4" et summarium.

Radivivo [sic]⁸

Dilecte fili^{a)}. Ex Marco Antonio Mapheo, Sanctae huius Apostolicae Sedis Protonotario, Nuntio ad Ser.mum Poloniae Regem nostro, tua Nobilitas intelliget, quae ^{b)-sit illius-}^{b)} mittendi causa, nempe ea quae propter ipsius Regis commodum et sui Regni consolationem et quietem ^{c)-nobis et vobis, [qui]} illius am[plitudi]ni et digni[tati]^{c)}, est gratissima, ut ei scilicet de novis nuptiis gratulemur^{d)}. Quod, etsi alias ad Nobilitatem tuam litteras cum istius Regni proceribus communes dedimus, tamen cum intelligeremus prae-fatum Marcum Antonium te primum in itinere conventurum⁹, has privatum ad te ipsum^{e)} dare voluimus litteras, ut et quanti Nobilitatem tuam pro sua virtute facimus, ex ea re^{f)} intelligat, et ut eam etiam atque etiam in Domino hortemur, ut suo semper consilio atque excellenti auctoritate Dei et rectae Christianae catholicae fidei causam adversus impiorum conatus tutari velit. Quamquam tuam Nobilitatem in eo ipso^{g)} magis gratiarum actione quam hortatione indigere scimus¹⁰. Caetera nostra ex eodem Marco Antonio tua Nobilitas intelliget, cui fidem habebit. Datum ^{h)-Romae apud Sanctum Petrum etc., die XXVII Maii 1553, anno 4°.}

Pau[lus]-^{h)}

⁸ Nicolaus Radziwiłł, dictus Niger (1515-1565), palatinus Vilnensis ab a. 1551, tunc intimus regis Sigismundi Augusti consiliarius.

⁹ Radziwiłł tunc commorabatur Vindobonae, ubi de conditionibus matrimonii huius ineundi cum rege Ferdinando tractabat. Maffei tamen iam eum Vindobonae non convenit, nam palatinus, matrimonio 23 VI 1553 stipulato et per procuratorem (quem ipse agebat) contracto, post 10 VII eiusdem anni in Polonię profectus est. Cfr. Jasnowski, p. 110.

¹⁰ Mira est haec laudatio, nam Radziwiłł iam hoc tempore ad Lutheranos inclinare cooperat, quo-rum catechismum in versione Polona eodem anno 1553 Brestiae imprimi curavit, v. Jasnowski, p. 199.

- a) *Sequitur expunctum: Intelle*
- b-b) *Adscriptum supra, pro expuncto: sint ad eum*
- c-c) *Adscriptum in margine, qui deinde in parte abscissus est.*
- d) *Correctum ex: gratularemur*
- e) *Adscriptum supra, pro expuncto: unum*
- f) *Adscriptum supra, pro expuncto: cognoscet*
- g) *Adscriptum supra.*
- h-h) *Manu Pauli Sadoleti.*

N. 5.

**Iulius III, pontifex maximus
Catharinae, archiducissae Austriae**

Romae, 28 V 1553.

De matrimonio eius cum Sigismundo Augusto gratulatur. Nuntium suum ad nuptias honestandas, Marcum Antonium Maffei, commendat, per quem ei reliquias Sanctae Crucis dono mittit.

Min.: AV, Arm. 41, ms. 68 f. 250r.

Catharinae Archiducissae Austriae

Char.ma in Christo filia nostra, salutem etc. Significavit nobis Ser.mus Rex Romanorum, pater tuus¹¹, te Char.mo (^ain Christo-^a) filio nostro Sigis-mundo Augusto, Poloniae Regi, despondisse. Quae nuptiae ut rite perfici^b) possint^c), huius Sanctae Sedis auctoritate (^dper nos, sicut^d) ille a nobis petiit, est indul-tum¹². Quare cupimus eas vobis omnibus, vestrisque regiis familiis atque universalii Christianae Reipublicae faustas esse et perpetuorum gau-diorum effectrices. Ut autem nostram erga praedictos Ser.mos Reges propen-sam voluntatem declararemus, misimus istuc^a) dilectum filium Marcum Antonium Maffaeum, Apostolicae Sedis Protonotarium, Nuntium^a) nostrum, qui in istis ipsis nuptiis nostro nomine intersit quasi interpres divinae erga eos benignitatis et favoris. Is tuae Celsitudini partem ligni Ss.mae^e) Domini No-stri Iesu Christi Crucis, in quo Salus mundi pependit, auro quidem^a) et gemmis inclusam, (^fsed omnibus humanis rebus longe pretiosiorem^f), nostro no-mine exhibebit¹³, ut^g) sit apud te monumentum paternae nostre erga Celsi-tudinem tuam charitatis. Eam te et venerabunde accipere, et in debita reve-

¹¹Ferdinandus.

¹²Vide supra, N. 1.

¹³Pro cruce hac elaboranda expensi sunt a thesaurario pontificio Iacobo quodam aurifabro "scudi 2 d'oro, per havere racconcio una crocetta d'oro, piena di diamanti, la qual si mandò alla Ser.ma Regina di Pollonia" (Roma, AS, F. Camerale I, Tesoreria Segreta, ms. 1295, fasc. D, f. 30v).

rentia cultuque^{a)} habere^{h)}, et rei ipsius dignitati atque excellentiae et pietati tuae conveniet. Datum ⁱ⁾Romae apud Sanctum Petrum etc., die 28 Maii 1553, anno 4^o.

Pau[lus]^{j)}

- a-a) *Adscriptum supra.*
- b) *Adscriptum supra, pro expuncto: fieri*
- c) *Sequitur expunctum: per nos*
- d-d) *Adscriptum supra, pro expuncto: ut*
- e) *Sequitur expunctum: Crucis*

- f-f) *Adscriptum in margine.*
- g) *Adscriptum supra, pro expuncto: Quae*
- h) *Sequitur expunctum: tuae pietati conve-*
niet.
- i) *Manu Pauli Sadoleti.*

N. 6.

**Litterae passus
a Iulio III, pontifice maximo
Marco Antonio Maffei datae**

Romae, 28 V 1553.

Cupiens dilecto filio Marco Antonio Maffeo, Sanctae Sedis Apostolicae Protonotario, quem ad Ser.mum Poloniae Regem nuntium nostrum mittimus, ac Adamo, eiusdem Regis secretario¹⁴, una proficiscentibus, tutum iter ubique patere, commendat eos omnibus et singulis, per quorum possessiones eos transire contingat (eodem exemplo ac Hieronymo Rorario, v. N. 5, sed brevius).

Min.: AV, Arm. 41, ms. 68 f. 251r.

N. 7.

**Marcus Antonius Maffei
card. Innocentio Del Monte**

Vindobonae, 17 VI 1553.

Notum facit se die 16 VI regi (Ferdinando) porrexisse breve et dispensationem pro matrimonio ab eius filia cum rege Poloniae ineundo, qui grato animo ea accepisset; eadem die fuisse etiam apud sponsam, cui etiam breve et reli-

¹⁴ Adamus Konarski (1526-1572), secretarius et agens regis Poloniae Romae a. 1552-1555 (cfr. Wojtyska PP, p. 376-390, 429-430), postea epus Posnaniensis (ab a. 1562).

quam s. Crucis dederit. Postero die in Poloniam proficisci se intendere, etsi rex ob infirmitatem, nuptias differre coactus sit.

Autogr.: AV, Lett. di Principi 19 f. 135r-v. In f. 136v inscriptio, sigillum et alia manu: "1553. Vienna. De Messer Marc'Antonio Maffeo 17 Iunii. Ricevuta 7 Iuli".

Ill.mo e Rev.mo Signor mio osservantissimo.

Hiersera, che furno XVI del presente, insieme con Mons. Nuntio¹⁵ hebi odienza [sic] da Sua Maestà, non si essendo possuto prima per la caccia che l'ha tenuta fuori della terra et i consegli, dove è stata occupata. Salutai Sua Maestà in nome di Nostro Signore, ralegrandomi con quelle parole che mi parveno più convenienti e più affettuose, per monstrar l'alegrezza et il piacere che haveva preso di questo nuovo parentado con il Re di Polonia.

Li presentai dipoi il breve insieme con la dispensa¹⁶, mostrando a Sua Maestà quanto gratiosamente e con quanto favore li era stata conceduta. Dalla quale mi fu risposto con parole molto amorevoli e piene di osservantia verso Nostro Signore, replicandomi le cagioni che l'havevano spinta a far questo parentado et i buoni effetti che erano per seguirne, e che Sua Maestà non intendeva che fosse fatto cosa alcuna senza la voluntà di Nostro Signore, essendo per questa, come obediente figliolo, ricorsa da Sua Santità; la quale ringratiaava della gratia tanto favorevole, offerendosi sempre paratissima ad ogni cosa che tornasse in beneficio di Sua Santità e della Sedia Apostolica.

Fatto questo offitio, visitai subito la sposa, e ralegrandomi seco, li presentai il breve, insieme con la croce¹⁷. La quale pigliò con molta divotione, mostrando che li fosse gratissima, sì per il dono istesso, sì ancora [135v] per venir da Sua Beatitudine, che li sarebbe carissima per memoria di quella.

Dimane penso tornare dalla Maestà di suo padre e da lei a licentiarmi per seguire il mio viaggio al Ser.mo Re di Polonia. Il quale essendo un poco infermo, si sono differite le nozze per alcuni giorni, con speranza che habi a sanarsi presto¹⁸. Ancora che per questo io non resterò di prevenire per eseguire quanto prima quel che mi è stato commesso da Nostro Signore. Al quale mi farà gratia degnarsi di fare intendere quanto è stato grato et accetto quel che fin qui si è fatto in nome di Sua beatitudine. Né mi occorrendo altro, baso

¹⁵ Hieronymo Martinengo, qui nuntius fuit apud regem Romanorum Vindobonae a. 1550-1554 (cfr. Goetz NBD I/16).

¹⁶ Breve ad regem Ferdinandum, verisimiliter eodem die 27 Maii datum, non invenitur. Dispensatio, de qua hic sermo est, est alterum exemplar bullae, de qua supra in annotatione 3.

¹⁷ Vide infra, N. 4.

¹⁸ Regem iam 8 VI, "consilio astrologorum" nuptias procrastinasse infirmitatis causa testificantur litterae eius ad oratorem Vindobonae, Nicolaum Radziwiłł, datae (Wojtyska PP, p. 62).

humilmente le mani di V.ra Signoria Ill.ma e Rev.ma. Di Vienna, alli XVII di Giugno del [MD]LIII.

Di V.ra Signoria Ill.ma e Rev.ma

humilissimo et obligatissimo servitore
Marc'Antonio Maffeo

N. 8.

Marcus Antonius Maffei
card. Innocentio Del Monte

Cracoviae, 3 VII 1553.

*Notum facit se venisse Cracoviam et ab omnibus bene acceptum esse; au-
dientiam suam et nuptias ob regis aegritudinem procrastinatas esse.*

Autogr.: AV, Lett. di Principi 19 f. 137r-v. In f. 138v inscriptio, vestigia sigilli et alia manu: "1553. Cracovia. Del Maffei. 3 di luglio. Ricevuta alli 26".

Ill.mo et Rev.mo Signor etc.

Ancora che non habi possuto fin' hora far con questo Ser.mo Re l'offitii che mi sono stati commessi da Nostro Signore, non ho voluto restar per questo di avisar V.ra Signoria Ill.ma della mia giunta in Cracovia, dove mi trovo al presente, ben visto et accarezzato da Sua Maestà e da tutti questi Signori ecclesiastici e seculari, non mi si mancando di tutto quello che si convien loro di fare ad un Nuntio di Sua Santità, verso della quale, cominciando dal Re, tutti mostrano di havere una grande osservanza et una gran riverenza alla Sedia Apostolica. Però io non manco di mantenerlo con tutti quelli offitii che si convengono di fare in nome di Nostro Signore.

La Maestà del Re non si può ancora rihavere da una febre, che son già cinque settimane che la tengono [sic] infermo. E per questo me si [137v] differisce l'odienza e si differiscono le nozze, più di quello che si pensava. Li medici dicono che ci è certezza di sanità e speranza che debbia essere presto, ma la opinion de molti è che il male andarà in lungo. Io, dopoi che harò visitato sua Maestà, aspettarò la venuta della Regina, secondo che mi commise Nostro Signore, se in questo mezzo non harò altro aviso da V.ra Signoria Ill.ma.

Alla quale baso humilmente le mani. Di Cracovia, alli III di Luglio del [MD]LIII.

Di V.ra Signoria Ill.ma et Rev.ma

humilissimo et obligatissimo servitore
Marc'Antonio Maffeo

N. 9.

**Senatores saeculares regni Poloniae
Iulio III, pontifici maximo**

Cracoviae, 14 VIII 1553.

Gratias agunt pro litteris, per nuntium (Maffei) ipsis transmissis, quibus hortatur eos ad religionis catholicae defensionem; certiores eum reddunt se nunquam fidei mutationem in Polonia permissuros.

Cop. coaeva: Kórnik, BPAN, ms. 245 f. 84v-85r.

Senatores saeculares Iulio III, pontifici maximo

Sanctissime ac Beatissime Pater et Domine D.ne clementissime. Post oscula pedum beatorum, perpetuam servitutem Sanctitati V.rae deferimus.

Quod nobiscum Sanctitas V.ra per oratorem suum, ad cohonestandas istas nuptias Ser.mi Regis nostri missum, tum etiam per litteras suas de integritate religionis, opt [...]a) in Ecclesiam Dei receptis moribus in Regno hoc conservandis egit¹⁹, ea nos, pro debito fidei nostrae atque erga Sedem Apostolicam, tum Sanctitatem V.ram observantia, non minus reverenter quam gratae accepimus, admonitionemque hanc, ut rectam et piam, ab animo que plane paterno profectam, obviis votis amplexi sumus. Etsi vero nihil est adhuc atque adeo attentatum, quod sacrosanctam fidem Catholicam syncerosque et tot saeculis iam confirmatos eius usus labefactare aut submovere posset, licet in tanta varietate atque discrimine morum, quo homines ad invicem in tota Christianitate inter se dissident, non unum fortassis omnes sapient, status tamen religionis, autoritas Ecclesiae et caetera fidei orthodoxae fundamenta atque ornamenta integra hactenus per Dei clementiam manent, Ser.mo Principe nostro et optimatibus Regni in id unice incumben-

¹⁹ Vide supra, N. 3.

tibus. Ita ut nihil verendum sit aliquid a praescripto Verbi Divini et veteri norma Ecclesiae in religione nobis, quoad Deus voluerit, viventibus, immutatum iri. Quod tamen adhuc Sanctitas V.ra calcar addit ultro currentibus, facit eo ad certamen istud alacriores et convitatores, erigitque simul animos nostros in optimam spem certae quietis et unitatis in Ecclesia Dei. Fovere enim illam, pacemque et stabilitamentum [85r] illius hac sollicita et vigilanti cura eximiisque studiis Sanctitas V.ra abunde cernitur. Quod ut Deus Optimus Maximus magis ac magis in dies promovere, Sanctitatemque V.ram sanam et felicem diutissime servare dignetur, sedulo precamur. Datum Cracoviae, 14 Augusti, Anno [MD]LIII²⁰.

a) *Illegibile.*

N. 10.

**Marcus Antonius Maffei
Martino Cromero, secretario regio**

Romae, 30 X 1553.

Notum facit causam Christophori Konarski, quam commendat et quae ante suum ex Polonia discessum iam commendata sibi erat, in curia Romana, Adami Konarski consensu et card. Putei auctoritate, transactam esse.

Or.: Olsztyn, ADWO, D 28 n. 35. In dorso inscriptio et vestigia sigilli.

Rev.de Domine.

Litteras tuas accepi, quibus Christophori Conarschi²¹ causam mihi commendas, quam mihi, priusquam a vobis discederem, Ser.mus Rex et Varmiensis noster plurimum commendavit²². Quorum autoritatem et virtutem sicuti a me plurimi fieri non ignoras, ita etiam tibi persuasum esse certo scio, me maximam curam adhibuisse, ut Christophorum huiusmodi moles-

²⁰ Similes litteras ad Iulium III dedit die 11 VIII 1553 etiam aepus Nicolaus Dziergowski, ad pontificias (v. supra, N. 2) responsivas (copia ibidem, f. 83v-84v, fragmentum ed. Pociecha MD, p. 77-78).

²¹ Christophorus Konarski (ante 1526 - ca 1574), secretarius regius ab a. circiter 1549.

²² Konarski promissum habebat ab epo Ioanne Dantisco, iam a. 1546, rege Sigismundo I postulante, primum canonicitum vacantem in dioecesi Varmensi; qua exspectativa mox renuntiassse una cum habitu ecclesiastico, Romanus Zelewski affirmit (PSB XIII, p. 466-467). Ex epistula hic reportata patet rem nondum a. 1553 finitam fuisse, cum adhuc hoc anno tam rex Sigismundus Augustus, quam epus Varmiensis, Stanislaus Hosius, pro ipso intercesserint.

tiis liberarem. Atque tandem eo res est, ut controversiam hanc non inquis conditionibus transegerimus, quarum exemplum licet Adam, illius propinquus²³, cuius consensu et Cardinalis Putei²⁴ autoritate transacta res est, ad eum mittat, omnia tamen ex illius negocioribus cognosces.

Caetera, quae a te mihi commendata sunt, quantum mihi curae sint, malo te ex illorum, quorum interest, quam ex meis litteris intelligere. Pergratum mihi feceris, si quamprimum per oculum tibi licuerit, id ad me scriperis, quod tu et praesens es pollicitus, et nunc iterum per literas te facturum confirmas. Vale. Romae, XXX Octobris MDLIII.

(^a-Tui addictissimus Marcus Antonius Mafaeus
Archiepiscopus Theatinus^{-a)}

^{a-a)} *Autographum.*

²³ Adam Konarski, socius legationis Maffei in Poloniam (v. supra, N. 6). De eius "propinquitate" cum Christophoro Konarski non constat (v. Źelewski, PSB XIII, p. 466).

²⁴ Iacobus Puteo (1495-1563), card. ab a. 1551, viceprotector regni Poloniae a mense Augusto 1553.

